

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM MEDICAM
DE
CAVTELIS
CIRCA
THEORIAM ET CVRATIONEM
HAEMORRHAGIARVM
OBSERVANDIS

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
P R A E S I D E
VIRO ILLVSTRI, EXCELENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

D. XXX. APRIL. A. S. R. cl^o Iocc li.
IN REGIA FRIDERICIANA

PVBLINE DEFENDET

AVCTOR

IOANN. CHRISTIANVS CORVINVS
PRITZVALCKO - PRIGNIT. MARCHICVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIONEM NAVAGARIAE MEDICAM

DE

CATETIS

CIRCA

THEORIAM ET CAVITONEM

HAEMORRHAGIARUM

DISCERNENDIS

CONSERVANDIS ET CURANDIS MEDICIS

PRÆSAGE

ALIO DISCERNENDI MECENSI ET EXPERIMENTISMO

DOMINA

D'ANDREA ETIACUCHINERO

SACRUM ROMANI IMPERII NOVI

POTESTATIS PRAESIDI REGIA CONSILIUM INTRAM

MEDICO ET CHIRURGICO COLLEGII ET CONSILII ORDINARIO

DISCIPLINARIA AC CLAVIS PATENTIA STUTTGARTIAE

ET COMMUNICANTIA CAVITONIS

PRO GRANDI DOCTORIS

IN REGENSBERGIO CIVITATI

EXACTUS DECIMUS

JOANN. CHRISTIANUS CORVINUS

DISCERNENDIS ET CURANDIS MEDICIS

ALIO DISCERNENDI MECENSI ET EXPERIMENTISMO

DISCERNENDIS ET CURANDIS MEDICIS

VENERABILIBVS SENIBVS
EXICAS HABEAT STUDIOREM
ACADEMICARVM

V I R O

PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO

ATQVE CONSULTISSIMO,

D O M I N O

DN. ARNOLDO KRVSEMARCK

CIVITATIS PRITZVALCKENSIS CONSULI SUPREMO EMERITO,

AVO SVO AD CINERES VSQVE PROSEQVENDO,

NEC MINVS

V I R O

PRAENOBILI AC PLVRIMVM REVERENDO

D O M I N O

DN. CHRISTIANO CORVINO

PARENTI SVO

OMNI OBEDIENTIAE CVLTV

AD VLTIMVM VSQVE VITAE HALITVM

SEMPER

COLEND0 AC DEVENERANDO,

EXIGVAS HASCE STVDIORVM ACADEMICORVM

PRIMITIAS,

PRO

TANTIS HVCVSQVE SIBI MVSISQVE SVIS

EXHIBITIS BENEFICIIS,

IN

GRATISSIMI SVI ANIMI TESSERAM

ET

AETERNAE OBSERVANTIAE TESTIMONIVM,

EA, QVA DECET,

REVERENTIA AC PIETATE

CONSECRAT.

DK CHRISTIANO CORVINO

OMNI CLEMENTIAE CAVTA

AD ILLUMINATIVAE VITAE SCIENTIAE

SCHEHER

IOANN. CHRISTIANVS CORVINVS.



DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA,
DE
CAVTELIS
CIRCA
THEORIAM ET CVRATIONEM
HAEMORRHAGIARVM
OBSERVANDIS.

PROOEMIVM.



Variae in nostro corpore eveniunt mutationes, quas aequo iure inter salutares atque noxiwas referre possumus. Viderem hoc potissimum licet in febris atque haemorrhagiis, quas omnes Medicorum scholae tam salubres,

A 3 quam

quam insalubres, declarare solent. Sic enim, teste experientia, optima rerum magistra, fluxus dantur sanguinei, qui per se iam, respectu locorum, ex quibus prodeunt, sanitati tuendae promovendaque apprime convenient, sicut suo quidem exemplo *haemorrhagiae narium*, pueris iuvenibusque solemnes, nec non viorum *haemorrhoidalis*, mulierumque *menstruus* & *lochiorum fluxus*, luculentissime ostendunt. Noxiis contra & sanitatem magis depravantibus haemorrhagiis non sine ratione reliquae fere omnes debent accenseri, quae ex viis minus solitis feruntur, quales e.g. *haemoptysis*, *vomitus* & *mictus cruentus* esse solent. Quicquid autem sit, licet negari haud queat, quod quaedam sanguinis stillicidia in singularē machinae nostrae commodum, nonnulla vero e contrario in notabile ciusdem cedant detrimentum; Medici tamen sapientes

frisup

tiores ad unum omnes in eo consentiunt,
quod haemorrhagiae quoque utilissimae,
si modum excedunt, largioremque san-
guinis fundunt copiam, quam vires no-
strae, quibus vita & sanitas unice contine-
tur, commode ferre queunt, corpus ad
varios morbos reddant aptum, certoque
tandem ad lethum ducant. Recte igitur
faciunt Medici, qui tam iniquis vitae no-
strae hostibus prudenti consilio ac auxi-
lio strenue obviam ire contendunt; licet
maximopere sit dolendum, quod spe sua
saepe frustrentur, multosque subinde
aegrotantes, qui conservari fortasse po-
tuissent, morti tradant. Verum enim ve-
ro re altius pensitata, praecipua huius de-
lieti culpa perversae medendi methodo
tribuenda est, qua plures seducti saluber-
rimis naturae legibus renituntur, & sym-
ptomata plerumque magis, quam causas
morbi aggrediendo, remedia plane con-
traria

traria commendant & adhibent. Quum itaque adeo multum intersit, & Medico, salutis humanae cupidō, omnino interessē debeat, ut haemorrhagiis nimiis medendi exācte calleat regulas, operaē omnino pretium me esse facturum credidi, si in praesente specimine inaugurali *cautiones quāsdam, in curatione haemorrhagiarum sanandarum scitu quam maxime necessarias, suppeditarem, easque praemissae seniori theoriae, ceū fundamento, superstruem.* Faxit modo DIVINVM NVMEN, a quo omnes pendent mortalium res, ut, quae prolatus sum, exoptatum sortiantur finem. Sic enim spero fore, ut benevolus quoque Lector, sicut humaniter eundem rogatum volo, aequi bonique consulat omnia.



§. I.



§. I.



Cum sine cognitione caussarum curatio morborum detur nulla, mearum esse partium iudico, ut in limine statim praecipuas, easque universales & omnibus haemorrhagiis competentes, afferam caussas. His enim suppositis, eo quisque facilius dijudicare poterit, quaenam in iisdem tollendis feligere, & quae contra fugere debeat remedia.

§. II.

Omnis haemorrhagia supponit, & pro vera caussa agnoscit *inaequalem sanguinis circulum*, sive maiorem sanguinis in certis partibus, ad haemorrhagias dispositis, accumulationem.

Est omnino haec thesis rationi & experientiae contentanea, nisi forte haemorrhagias, vi quadam externa provocatas, de quibus tamen hic non sermo est, expiriere velimus. Quodsi enim sanguis ex quibusdam corpora

B

10 De Cautelis circa theoriam & curationem

corporis nostri regionibus profluit, ex quibus antea non prorumpet, debet omnino ratio adesse sufficiens, ex qua intelligi possit, cur iam aliquid fiat, quod antea deerat. Iam vero, omnibus vel accuratissime subductis rationibus, nulla certe est, quae magis se nobis probaret, quam *inaequalis sanguinis distributio*, siue *maior in certis partibus accumulatio*, qua supposita, sanguis in certa parte coacervatus vasa expandit, expansa & ultra debitum elasticitatis gradum distenta perrumpit, & ex perruptis demum, qua data via, pronatur. Evidem probe scio, fore nonnullos, qui *diaeresin pro haemorrhagiarum causa allegantes*, sanguinem a vasibus, ab acrimonia humorum dilaceratis, immediate fundi statuant. Verum enim vero, hi non perpendunt, in paucissimis tantum subiectis, ubi maxima humorum dyscrasia peccat, talem caussam locum habere posse, & ne in his quidem inaequalem sanguinis circulum excludi debere. Sic finge tibi scorbuticum, maxima fluidorum acrimonia contaminatum, sed caveas quaeſo, ne haemorrhagias, ipsi subinde familiares, a ſola vasorum diaeresi deducas, quae maiori iure certiorique fiducia ab inordinato sanguinis circuitu derivari possunt ac debent. Nullus enim existit scorbuticus, cuius morbus iam adolevit viresque recipit, in quo non unum alterumve viscus sit laeſum, idque vel infarctum, vel obſtructum, vel plane induratum. Ubi autem adſunt obſtructions, ibi quoque adeſt impeditus humorum per vasa transitus, & ubi hic demum praefens eſt, ibi etiam per leges hydraulicas immutata ſit fluidorum directio, & haec deinde ad alios

09100



alios canales maiori vi ruunt, eosque, nisi sufficienter
resistant, disrumpunt; unde sanguinis fiat profluvium
necessa est. Quae olim veteribus valde placebat haemorrhagiarum
causa, sanguinis scilicet nimis fluidi per
poros vasorum transudatio, paucos hodie invenit de-
fensores, & ego pariter eiusdem defensionem lubenter
detrecto. Ceterum minime hac mea thesi iis contra-
dico medicinae antistitibus, qui sanguinis congestio-
nes pro causa haemorrhagiarum mediata agnoscunt.
Congestio enim, cum in fortiori fluidorum ad certas
partes appulsi consistat, ego autem eandem assumam,
in aprico esse iudico, nos verbis tantum, non re ipsa,
inter nos dissentire.

§. III.

Causae huius inaequalis sanguinis circuli, &
congestionum exinde provenientium iterum variae
sunt, & maxime quidem 1) *sanguinis abundantis*, &
a quacunque *causa commoti*, *ebullitio*. 2) *Spasticae*
nonnullarum partium stricturae. 3) *Viscerum quo-*
rundam infarcitus, *obstructiones* & *indurations*.
4) *Polyposa concrementa*, variis subinde nostri
poris valis maioribus impasta. Quibus, si lubet,
addi potest 5) *specialis quedam canalium in partibus*
haemorrhagiis obnoxii imbecillitas, sive ad sanguinem
affluentem copiosius recipiendum & trans-
mittendum dispositio.

Inter causas, aequalem sanguinis itum redirumque
remorantes, referri omnino meretur, *nimius sanguinis or-*
gasmus, qui haemorrhagias plerumque comitatur & su-
stentat, atque non solum per celeriores pulsuum ictus

aestumque maiorem se manifestat, sed exinde quoque facile potest diiudicari, si causas haemorrhagiarum antecedentes paulo accuratius consideramus. Nonne enim potum spirituorum & calefacientium abusus, nimia corporis exercitatio, iracundiae affectus, aëris nimis aestuosa conditio, & balneorum iusto calidiorum usus, &c. saepe saepius varia sanguinis provocant stillicidia? & sane vix aliam ob rationem, quam quia sanguinem fortius expansum exagitatumque ad has illasve corporis regiones copiosius celeriusque urgent, & ad liberum per vasa sua commeatum reddunt inceptum. Et hoc sane longe facilius certiusque accidit, si forte hae mutationes in corpore eveniunt plethorico, magnaue sanguinis & humorum copia repleto; siquidem sanguinis redundantis expansio & commotio aequalem eiusdem circulum longe magis potest turbare, vasorumque alveos perrumpere, ac si in iusta adesser proportione. Ex quibus simul apparere arbitror, nimiam sanguinis turgescentiam non proxime & direkte, ut nonnullorum tulit opinio, sed ideo potius haemorrhagias efficere, quia inaequalitatem sanguinis circulationi infert.

De *spasmis* eo minus dubitandum est, si modo symptomata haemorrhagias tam antecedentia, quam concomitantia, paulo curatius intuemur. Deprehendimus enim, eos fere omnes, in quibus vel instar, vel iam praesens est sanguinis fluxus, de refrigeratione extremonum, de horripilationis sensu, dorsum inprimis occupante, de dolore lumborum pressorio, de tensione circa hypochondria, de alvo segniori vel adstricta,
&

& molestis abdominis flatulentiis conqueri, ideoque illos praecipue homines, qui, sicut viri hypochondriaci foeminaeque hystericae, multis spasticis tentantur affectibus, haemorrhagiis potissimum affligi, & ea omnia, quae spasmos excitare valent, iisdem provocandis esse indonea, sicut e. g. in febribus exanthematicis observare licet, in quibus, antequam materia acris ad peripheriam corporis defertur, satis frequentes atque copiosae, praesertim narium, accident haemorrhagiae, quae postea, facta exanthematum eruptione, sponte cessant. Singula autem haecce phaenomena, sicut spasticos generis nervosi motus luculenter ostendunt; ita etiam nihil dubii est, quod ad impeditam sanguinis per vasa traiectionem quam plurimum contribuant. Quando enim certae, maximeque extremae corporis nostri partes, iusto maiori fibrarum structura sunt affectae, necessario vasa ex ipsis contexta angustantur, longeque minorem acquirunt diametrum; unde vel in tanta copia, quanta debebant, sanguinem non amplius recipiunt, vel eiusdem liberum per venas refluxum impediunt, eumque in utroque casu maiori copia & impetu ad alia, eaque minus congrua loca, coniiciunt, ubi deinceps vasa sic dicta lateralia, sanguinem non purpureum, sed purissimam tantum lympham vehentia, ad disruptionem usque distenduntur.

Viscerum sanguinorum, ut hepatis, pulmonum & lienis, *infartus & obstructions*, pariter ac *cordis vasorumque maiorum a polypo repletiones*, non modo *secessiones cadaverum, haemorrhagiis demortuorum*, abunde

14 | *De Cautelis circa theoriam & curationem*

satis confirmant, sed varii quoque morbi chronicci, a fonticis hisce causis oriundi, uberrime docent. Sic enim artem exercentibus Medicis non admodum raro observare licet, asthma, phthisis, cachexiam, icterum, scorbutum adultum, febresque lentes & hecticas, tanquam morbos, vel a viscerum labore, vel a polypis dependentes, persaepe plus minus graves haemorrhagias habere comites. Et ratio profecto in propositulo est. Sanguis enim, in vasis quomodocunque obstrutis, libere progredi nescius, vi legum hydraulicarum, sicut iam in explicatione §. II. monitum est, ad alias connexos canales largius defluit, hosque distendit, & ultra elasticitatis sphaeram expansa ad rupturam perducit.

Quarundam denique partium atonia, & ad haemorrhagias dispositio, ex causarum serie minime debet excludi. Videmus enim, alias atque alias homines, ob certam quandam structurae corporis conditionem, ad sinceri sanguinis excretiones magis esse dispositos; sicut quidem prae ceteris sanguinei esse solent, & qui habitum corporis spongiosorem tenerioremque obtinent. Et hinc quoque est, quod haemorrhagici morbi haereditario quasi iure a parentibus ad liberos saepe transferantur, & quod sanguinis fluxiones non ex omnibus indiscretim locis, sed ex quibusdam tantum, proveniant, itemque ratione aetatis, modo ex his, modo ex aliis erumpant viis. Et licet Auctores medici in suis de medicina monumentis varia allegent exempla haemorrhagiarum, ex insolitis plane viis promanantium, fidemque nobis faciant de sudore sanguinolento,

nolento, de mensium fluxu ex genu digitorumque apicibus prodeunte, & sic porro ; singula tamen huius generis exempla sunt rarissima, & neque regulae loco inservire possunt, neque partium corporis nostri ad haemorrhagias dispositionem refellunt. Haec enim, si praesto est, ipsa sanguinis fluxionum generatio facilime potest fieri. Quodsi enim fluida nostra sive a spasmis, sive a polypis viscerumque laesionibus, sive ab aliis iam enarratis causis in cursu suo aequali perturbantur, in iis profecto locis copiosius congeruntur & accumulantrur, quae vel ob nativam, vel ob aliunde contractam vasorum imbecillitatem, minori gaudent resistendi potentia.

§. IV.

Plethora ad producendas haemorrhagias omnino suum confert symbolum; non tamen semper ut causa immediata & materialis proxima. Neque tam frequenter plethora pura, quam potius serosa, solet esse in culpa.

Me quidem non fugit, Medicos nonnullos a nimia sanguinis redundantia haemorrhagias potissimum deducere. Verum enim vero, solet tantum eatenus ad proritandos sanguinis fluxus plethora plurimum valere, quatenus partim exagitata aestuque turgefacta magis nocivos progignit effectus, partim vero quatenus ad spasmos ciendos viscerumque infarctus & polypos ingenerandos, & denique ad inferendam vasorum atoniam in primis idonea est, & consequenter etiam ad inaequalem sanguinis distributionem multum confert momenti. Hoc autem respectu non immediate agit, neque

16 *De Cautelis circa theoriam & curationem*

neque proximam constituit causam, qua scilicet posita, ipse ponitur morbus. Id quod ut eo clarus innotescat, finge tibi hominem summe plethoricum, & invenies, hunc non perpetuo plorare sanguinem, sed tum demum, quando plethora ipsius commota a quacunque externa causa inaequaliter & impetuose in corpore circumagit, & hinc vel inde sanguis copiosius coacervatur. Debet enim omnino adesse ratio, cur plethoricus nunc sanguinem fundat, quem vix antea in vasorum alveis adhuc fluctuantem continebat. Quum vero ante horae circiter sparium eadem sanguinis mole repletus erat, minime certe ipsius profusio in sola plethora quaerenda est, sed potius rectiusque ab immutata sanguinis directione, & ad certas partes congestione, debet derivari. Deinde illud quoque momentum thesin hancc meam uberius confirmat, dum animadvertisimus, haemorrhagias nihilominus continuare, statisque saepe periodis recurrere, quamvis iusto largior sanguinis portio iam sit effusa, ipsaque plethora mirum quantum exhausta; quod tamen fieri non posset, si haec sola proximam haemorrhagiarum causam constitueret. Recte igitur statuendum est, non tam a superabundante sanguinis copia, quam potius a perverso ipsius motu, & interdum a prava solidorum, fluida impellantium, ad inordinatos motus suscipiens consuetudine haemorrhagias suam mutuari originem. Et inde etiam non adeo raro solet contingere, quod plures, demum post venaectionem vix administratam, sanguinem largius profundant, quem, eadem nondum instituta, fortasse non amisissent.

Quod

supradictum

Quod deinceps ii in primis homines, qui *seri* potius,
quam sanguinis consistentis rubicundi, *in vasis alunt*
copiam, praeternaturales sanguinis excretiones experi-
antur, ostendunt gravissimae illae, diuque durantes
haemorrhagiae. Tales enim plerumque notabilem
viscerum labem pro fundamento agnoscunt, sub qua-
sanguis hinc inde stagnans ut plurimum pravam acqui-
rit mixtionem, & maxime quidem, ob imminutam
partium inutilium difflationem, multas serosas colligit
fordes. Quod similiter fieri deprehendimus, si in
haemorrhagiis chronicis iam magna sanguinis facta est
profusio. Tunc enim qui remanet sanguis, ex iisdem
causis facile in serosam desciscit colluviem. Et quid
multa? non opus esse censeo, ut hancce thesin longa
argumentorum serie hic evincam, cum instar omni-
um esse possit fide digna multisque annis tubacta ex-
perientia Illustr. b. m. HOFFMANNI, qui in *Medicina*
Systemat. Tom. IV. Part. II. Sect. I. in prolegom. §. VIII.
ita graviter scribit: *Ubi maior & ultra proportionem*
seri copia in vasibus continetur, sicuti fit in corporibus
mollioris texturae, vitae otiosae addictis, & quae sero-
soris naturae sunt, sanguinemque copiosius, quam par-
est, e vena emittunt, transpirationem impeditiorem ha-
bent, atque plus appetunt, quam digerere & excernere
possunt; ii quam maxime hisce praeternaturalibus ex-
cretionibus, & ex his provenientibus incommodis &
morbosis affectionibus, subiecti & expositi sunt. Ex-
cessiva quoque & incredibilis propemodum sanguinis,
quae non raro excernitur, copia, plethorae magis serosae,
quam sanguineae, testimonium exhibet, & quod per pauca

C

saepe

18 De Cautelis circa theoriam & curationem

saepe sit massae rubicundae portio, id ex eo luculenter
commonstrari potest, quando e vena sedata in haemorrhabi-
giis emissus sanguis in vasculo colligitur.

§. V.

In curatione igitur eo in primis respiciendum erit, ut inaequalem sanguinis circulum ad aequalitatem reducamus, quod optime perficimus, si 1) intestinam partium sanguinem constituentium agitationem temperamus; 2) spasticas nervosarum partium stricturas secura methodo relaxamus; 3) sanguinis impetum a parte affecta derivatum aliunde divertimus, & demum, 4) non parti solum laboranti, ad quam, ut semel debilitatam, continuus fit humorum decubitus, sed toti quoque partium motricium systemati debitum restituimus robur. Reliquarum cauteriarum, ut viscerum obstructionum, polyporumque sublatio, in votis potius habetur, quam reapse perficitur; sufficit aliquod attulisse levamen.

Recte hinc Medici prudentiores, primae satisfacturi indicationi, praecipuam medendi methodum eo dirigunt, ut intestinum sanguinis motum per nitrofa, absorbentibus nupta, per acidula, per sufficientem diluentem & refrigerantem potum, & in primis etiam per emulsiones, ex amygdal. & femin. i.v. frigid. maior. paratas, quae oleoso-mucidis suis particulis fortiorum partium sanguinis attritum impediunt, apta ratione complacent. His autem voto non satis respondentibus, ad nimium spasmorum impetum sedandum, optimo sane consilio anodyna iungunt remedia, & non modo spiritum nitri dulcem, vel liquorem anodynūm pulveribus

bus admiscent & interponunt temperantibus, sed in graviori quoque statu ad alia correcta opia descendentes, massam pilularum de cynoglossa, de styrace, Wildegansii, theriacam coelestem & similia, pro varia haemorrhagiarum indole, in medium proferunt. Eodem deinceps fine, & in primis ad sanguinem a parte adfecta aliunde derivandum, non modo sapienter in usum vocant venaelectionem, quae sanguinis simul ebullitionem optime refrenat, sed utiliter quoque suadent clysteres emollientes oleosos, aut, si opus est, lenia laxantia, partium externarum frictiones & ligaturas, nec non fatus repidos, itemque manuum pendumque lotiones, & temperata aquae dulcis balnea. Quo vero demum *partibus debilitatis* debitum concilietur *robur*, & novus haemorrhagiae insultus praecaveatur, non sine ratione varia praescribunt roborantia tonica, in- & externa, ut sunt corallia rubra, species de hyacintho, medicamenta martialia bene praeparata, infusa ex herbis traumaticis concinnata, cortex chinas & cascarillae in varia forma adhibitus, & interdum quoque volatilia. Huc etiam virium, per bonam diaetam remediaque analeptica, refectione, & digestio-
nis, per temperata stomachica, emendatio iure meritoque pertinent.

Si forte incipientes viscerum infarctus & polypi morbum sustentant, magnas quidem Medici in sanando reprehendunt difficultates; interim tamen caute subinde experiri solent, quid sufficienter diluente potu, maximeque prudenti aquarum mineralium & salium incidentium usu, aliquis aperientibus, tam diaete-

20 *De Cautelis circa theoriam & curationem*

ticis, quam pharmaceuticis, & moderata corporis exercitatione efficere queant. Ubi vero status viscerum iam valde inveteratus est atque corruptus, mitigariam tantum methodum, quae potissimum in convenienti diaeta, & medicamentis blande analepticis consistit, perite adhibent, immo etiam periculosoſ polyporum effectus vel apta ratione avertere, vel pro viribus moderari student.

Haec quidem omnia, licet egregia sint, causisque haemorrhagiarum tollendis apprime opposita remedia; sunt tamen nihilominus, circa restum eorundem usum, regulae quaedam generales in singulis prope haemorrhagiis observandae, quarum iam praecipuas placet exponere.

§. VI.

Nitroſa quidem & *absorbentia*, itemque *emulſiones*, praeternaturalem sanguinis aestum perbelle infringunt; copiosius tamen usurpata saepe plus nocent, quam prosunt, & haemorrhagiam vel adauagent, vel alia accessunt incommoda.

Equidem *nitrum* singulari quadam & quasi specifica, spasmos sedandi sanguinisque ebullitionem temperandi, poller efficacia. Variae tamen Medicorum fide dignorum loquuntur observationes, quod interdum effectum plane contrarium exserat, & spasticas partium nervosarum stricturas non solum intendat, sed sanguinis quoque motum, qui inde dependet, intestinum, aliquo modo adaugeat, si nempe larga nimis manus iustoque crebrius porrigitur. In hoc enim casu non amplius refrigerante suo, sed potius salino stimulante

ordante agit principio, quo sensibiles intestinorum fibras, caeterasque partes membranaceas, irritando ad spasmos disponit. Quae cum ita sint, nitri quidem sufficiens, minime tamen nimius, in haemorrhagiis refreshandis concedatur usus.

Absorbentia, largiori in copia adsumta, tanquam remedia minus solubilia, ventriculo certo certius oneri sunt, eundemque debilitando necessariam ciborum digestiōnē imminunt, vel etiam ipsis intestinorum parietibus tenacius adhaerendo, liberum chyli ad sanguinem transitum prohibent, adeoque corpus, sanguine iam exhaustum, debita nutritione privant, neque raro ad tabidam consumtionem disponunt. Ne dicam, quod simul flatuum proventui inprimis velificentur, quibus novae sanguinis ad partem adfectam congestioni ansa praebetur facillima. Caveat igitur Medicus, ne in praescribendis absorbentibus nimis sit copiosus.

Eodem fere modo res se se habet cum emulsionibus largius oblatis. Etenim pinguibus suis particulis totum ventriculi & intestinorum plus iusto relaxant, flatulentias & diarrhoeas procreant, sicque non raro, ob perturbatum sanguinis per imi ventris viscera circumitum, illum ad partes semel debilitatas copiosius propellunt, & vel novam, vel largiore haemorrhagiam provocant.

§. VII.
Acida & acidula, iusta data dosi, egregie iuvant; abundanter vero exhibita nocent, immo non nunquam rectius omittuntur.

22 De Cautelis circa theoriam & curationem

Acida dantur vegetabilium atque mineralium, quorum illa temperatiora, & naturae magis amica, haec autem concentratiora & fortiora esse solent. Utraque vero, licet eximia impetuosiorem sanguinis intestinum motum cohibendi refrenandique potentia polleant, facile tamen sanguini spissitudinem atque coagulum inducent, si forte in excedente offeruantur quantitate. Atque hinc non raro deducenda mihi videtur ratio, cur plures haemorrhagiis affecti in viscerum obstrunctiones, aliaque gravia mala, ex spissitudine sanguinis pullulantia, tam cito incident, vel cur iis in locis, unde sanguis antea fluxerat, quandoque putrida & fere carcrosa prodeant ulcerata. Quam maxime autem in haemoptysi, quae tussim saepe ferinam habet comitem, admodum caute exhibenda sunt acida, nisi tussiculam pectoris concussionem magis excitare, sanguinis ex pulmonibus refectionem augere, miserosque aegrotantes in phthisicam tabem, ad quam aliunde iam pronus ex haemoptysi transitus est, praecipitare velimus. Tanto magis vero tantoque certius id contingere solet, si quando acida illa potentiora, ex minerali regno petita, ut spiritus nitri, salis & vitrioli, indeque parvae tincturae acidulae, in auctiori dosi, potuque tenui non satis diluta, porriguntur.

§. VIII.

Sedativa, maximeque opiate, caute, vel prorsus non exhibeantur subiectis a nimia sanguinis profusione iam multum debilitatis, senibus, vel quorum viscera gravius sunt laesa.

Quoniam haemorrhagiae, ut §. III. innui, a spasticis vafo-

vasorum fibrarumque nervearum crispaturis producuntur, & exacerbantur; antispasmodica omnino, & his nihil proficiuntibus, ipsa anodyna & opia correcta excellentissimi sunt usus, siquidem subtili sua vaporosa exhalatione nervorum membranarumque portis se insinuando, impetuosum liquidi nervae motum egregie compescunt, sive non solum in parte laborante, sed in reliquo etiam corpore spasmos & effrenes cordis arteriarumque motus reddunt quietiores. At vero cum hoc modo suam absolvant operationem, optime sane dantur, quando omnia in aestuoso sunt motu, arteriarumque pulsus vehementes & celeres cum vigiliis urgent. Quodsi vero vires cum sanguine iam multum exhaustae sunt, & debiles pulsuum ictus manum tangentis fere subterfugiunt, mirum in modum nocent, ideo quod robur corpori necessarium longe adhuc magis subtrahunt. Quid vero inde? vis partium solidarum systaltica, qua circuli sanguinis continetur integritas, magis magisque perit, maiores sunt sanguinis stagnationes, & ad partem affectam deobscubitus, indeque vel lethales sunt haemorrhagiae, vel alii excitantur morbi ex sanguinis stagnationibus oriundi, vel ipsa denique mors, omnium rerum clausula, si acceleratur.

Cum vero senes in primis imbecillibus debeant ad numerari, non mirum est, quod de his quoque omnia, quae iam emarravi, perinde valeant.

His ita suppositis, intellectu facillimum est, quam obrem nec iis anodyna conducant, qui unum alterumque viscus male gerunt affectum. Quodsi enim vis vaso-

24 *De Cautelis circa theoriam & curationem*

vasorum systatica imminuitur, fluida quoque, quae propelli debent, languidorem & impeditum habent progressum, unde viscerum obstructiones, quae in turbato & difficiliori fluidorum per vasa transitu consistunt, necessario debent augeri atque confirmari. Patet igitur exinde, quod regula nostra firma stet talo.

§. IX.

Derivantia nonnulla sanguinemque aliunde divertentia remedia, perinde aliquas postulant cautelas, si qualemcumque exserere debent effectum.

Inter remedia sanguinem, in certis partibus accumulatum, aliunde determinantia, iure meritoque numeranda sunt manuum pedumque in tepidam, sive solam, sive vino remixtam aquam immissiones. Nihilominus tamen, si paulo calidior ea fuerit, tunc partes minus resistentes fortius propellendo, magis nocent, quam prosunt. Quare ut tepide saltem & in moderato caloris gradu illa adplicetur, necesse est.

Artuum ligaturae, quatenus celeriore sanguinis cursum ad loca haemorrhagiis exposita aliquo modo impediunt, non raro utilem exserunt effectum. Interim tamen cavendum est, ne simul ac semel, sed sensim tantum paulatimque fortius constringantur, & si removendae sunt, non omnes simul uno actu remittantur; alioquin in priori casu noxiae saepe eveniunt sanguinis stagnationes & stases, eiusdemque maiores congestiones; in posteriori autem haemorrhagiae de novo interdum & gravius recurrent.

De clysteribus nihil habeo quod moneam, nisi, quod

iis

iis nonnunquam, qui largius sanguinis stillicidium ex haemorrhoidalibus vasis & utero experiuntur, non adeo bene convenient. Cum enim copiosus sanguinis haemorrhoidalis fluxus ab intestini recti, eiusque vasorum & membranarum atonia foveatur, facile haec ipsa a tepido clysterum emollientium calore augetur, nihilque dubii est, quin eadem ratione maior vasorum relaxatio adiacenti utero possit induci, indeque sanguinis ad eundem effluxus magis invitari.

§. X.

Sanguinis missio, tam evacuandi, quam derivandi sine administrata, utilissimum & plerumque necessarium est remedium; nonnunquam tamen aut melius omittitur, aut largior, crebriusque repetita, nocet.

Utilis quidem & fere necessaria est sanguinis e vena secta detrac^{tio} in principio haemorrhagiarum, quae a sanguinis abundantia & orgasmo proveniunt, siquidem hac ratione id, quod superfluum & naturae oneri est, admodum opportune subtrahitur. Aliter vero res se se habet, si forte haemorrhagiae non tam a sola plethora, quam potius a perturbato sanguinis motu eveniunt. Tum enim moderata venaesec^{tio}, derivandi quidem scopo instituta, interdum aliquid affert levaminis; largiter vero crebriusque instituta exitio est, quatenus scilicet spasmi, quos iam HIPPOCRATES ab inanitione vasorum fieri edixit, maiora capiunt incrementa, & congettiones adaugent. Neque ulla ratione largior sanguinis missio, eaque praesertim iterata, locum invenit, si haemorrhagia iam diu duravit,

D miseri-

26 De Cautelis circa theoriam & curationem

miserique aegrotantes iam nimiam sanguinis copiam cum viribus profuderunt & amiserunt, quoniam debili vasorum tonus magis adhuc inde minuitur, & sanguis necessario ad partes debilitatis, ex quibus semel egredi consuevit, copiosius dirigitur, ibique ex viis semel apertis summo cum detramento effluit. Fonte autem purpureo sic nimis exhausto, minimi viscerum canaliculi concidunt, obstrunctiones, si quae adsunt, incrementa sumunt, & mala inde prodeuntia, ut *cachexia, hydrops, plethysis, hectica, malique moris ulceræ, &c.* vel accelerantur, vel exacerbantur, vel denique etiam partes vitales, ut cor & cerebrum, sanguine nimis orbatae, cum universa functionum oeconomia ita labefactantur, ut non raro syncope succedat funesta.

Quod multum tandem intersit, an vena brachii, an pedum secerit, experientia iam satis confirmat, ut de hoc seorsim quaedam monere non opus videatur.

§. XI.

Remedia tonica & sanguinem sufficiantia aut nimis cito, aut debilibus & nimium sensibilis naturae subjectis offerre, piaculum est; validiora autem styptica melius omittuntur.

Recte omnino circumspicte monent Practici, ne *sanguinem sufficiantia medicamenta statim inter initia, & in paroxysmis haemorrhagiarum exhibeantur, siquidem causam morbi non subirahunt, sed ad tempus tantum sanguinis fluxum cohibent, qui postea saepe maiori reddit flumine.* Longe itaque tutius atque melius *temperatoria tonica* in fine insultus haemorrhagici, ad robur partibus affectis reddendum, & recidivam praescindendam.

scindendam, in usum ducuntur. Ex quo facili simul negotio colligi potest, roborantia medicamenta in chronicis haemorrhagiis tum demum quidem, si fluxus sanguinis plane desit, neque amplius redit, praescribenda esse, sed commode quoque post singulos paroxysmos, in chronico malo superatos, a perito Medico ordinari posse. Iam quidem susurrare audio, plura dari exempla, ubi, necessitate ita postulante, in ipso etiam insultu sistentia a Medicis experientissimis recte fuissent adhibita. Verum enim vero, hoc locum tantum habet, si excretio sanguinis effusissima, & cum summa virium iactura coniuncta, indicium praebet, ramos paulo maiores vasorum nimis esse distentos & plane disruptos, qui ideo omnino aliquam admittunt adstrictionem. Dein quoque in illo casu haecce audacia, si quea est, iustum meretur veniam, ubi satius esse videtur, incertum adhibere remedium, quam nullum, vel si ex duobus malis minimum est eligendum, miseraque vita citae preferenda morti. Quodsi enim enormis sanguinis profusio vi quadam cohibetur, varia quidem subsequi solent mala admodum molesta, certoque tandem mortem inferentia; interim tamen hanc ratione dulcis vitae usura paulo longius prorogatur.

Deinceps imbecillibus & exquisitius sentientis naturae subiectis sanguinem sistentia remedia semper maiori cum cautione, quam aliis, sunt offerenda; siquidem in ipsis plerumque varia spaistica & fere convulsiva pattemata, ut malum hypochondriaco-hystericum, magnasque praecordiorum anxietates, cum tremulo cordis motu, concitant, vel ipsam quoque haemorrhagiam

28 De Cautelis circa theoriam & curationem

adaugent. Agunt quippe haec medicamenta virtute quadam fibras & vasa ex iisdem composita constringente, qua spasmos, ad quos sensibiliores iam antea proclives sunt, facile revocant, vel exacerbant, adeoque etiam haemorrhagiam, quae inde saepe pender, sustentant gravioremque reddunt.

Potentiora syptica, recto licet tempore oblata, valde sunt insecura. Loquuntur enim Medicorum observationes, affectionem hypochondriaco-hystericam, cachexiam & hydropem, nec non lentas & heáticas febres, cum vitae periculo, saepe saepius inde suam duxisse originem.

§. XII.

*Volatilia & resolventia remedia in fistendis prae-
cavendisque haemorrhagiis omnino interdum ope-
rae faciunt pretium, sed parcus omnino, & magna
cum cautione, sunt usurpanda.*

*Volatilia & resolventia, cuius generis in primis mixtu-
ratio tonica STAHLII, tincturae antimonii & tartari, spiritu
salis ammoniaci & sal volatile oleosum SYLVII, cum
spiritu bezoardico BVSII & liquore anodynō, esse solent,
multiplicem habent usum, variamque iuvandi ratio-
nem. Sic enim non solum spasticas stricturas egregie
demulcent, lenemque diuresin & diaphoresin moven-
do, ac fatus expellendo, auctiorem sanguinis ad cer-
tas partes affluxum per belle divertunt, verum etiam
hoc in primis modo efficaciter nonnunquam opitulan-
tur, dum languidum sanguinis circuitum paulo red-
dunt vegetiorem. Quodsi enim iam multum sanguini-
nis evacuatum est, reliqua huius humoris portio len-
tiorem*

tiorem debilioremque habet progressum, & in locis praesertim affectis, debitoque tono privatis, accumulatur, accumulata stagnat, stagnans vero de novo facile erumpit. Ad novos itaque insultus avertendos maximum medentis artificium in eo consistit, ut debilem circulationem promovendo, noxias sanguinis in parte laborante stagnationes apta ratione impedit. Iam vero medicamenta modo enarrata huic scopo quam optime respondent, simulque spasticam vasorum constrictiōnē relaxando, ad aequalem sanguinis in corpore distributionem egregie faciunt; hinc etiam facile patet, quod optimum & convenientissimum praestent usum. Haec licet ita se habeant, nihilominus tamen ex altera parte noxios ciere valent effectus, si forte subiectis cholericis, ad orgasmum pronis, ante sufficientem sanguinis evacuationem, vel iis forsan, quorum viscera sunt infarcta valideque obstructa, offeruntur, in quibus, sanguinem commovendo, haemorrhagiam adaugent potius, quam imminuunt. Cautē igitur & nonnisi sub modo dictis conditionibus in usum talia vocentur.

§. XIII.

Alvus aperta, liberaque transpiratio, omnibus in haemorrhagiis, tam praesentibus, quam supervariatis, conserventur, aut, si deficiunt, promoveantur.

Quantum ad haemorrhagiarum felicem curatiōnē conferat alvi beneficium, sine negotio licet ex opposito conicere. Quodsi enim alvus officii immēmor fuerit, excrementa in intestinorum volumine ac-

D 3 cuīnu-

VIX 4

30 De Cautelis circa theoriam & curationem

cumulantur, unde flatus, exitu paeclusi, parietes intestinorum distendunt, quibus distentis, vasa sanguinea illos perreptantia comprimuntur, & fluida in ipsis contenta aliunde determinantur. Haec vero, quum vi legum hydraulicarum semper magis ad eas partes suum dirigant cursum, in quibus minor vis est resistendi, necessario ad ea confluent loca, ex quibus semel debilitatis & patulis sanguinis contingit effluxus; quare, ut maior hic fiat, necesse est. His ita suppositis, lubenter quemvis concessurum esse credo, haemorrhagia etiam iam superata perinde alvi liberioris rationem serio esse habendam, nisi velimus, ut sanguis, ad partes olim affectas denuo fortius delatus, novum molitur exitum. Recte enim alvi adstrictio inter causas haemorrhagiарum antecedentes solet referri.

Quantum deinde intersit, ut *transpiratio* conservetur, dici vix potest. Ea enim suppressa, sanguinis & humorum cursus introvertitur, & ad loca saepe inconvenientia dirigitur; unde etiam plures, ob prohibitam cuticularem excretionem, haemorrhagiis sunt obnoxii. Hae ipsae igitur qua ratione possint curari, nisi causas, easdem foventes, apte subtrahamus, equidem non video. Deinde, cum spasmi inprimis ad sanguinis congectiones atque profusiones quam plurimum conferant (§. III.), Medico sane nihil debet prius, nihil posterius esse, quam ut in iisdem sedan-dis omnem collocet operam. Iam vero sub libero transpirationis successu optima sit spasmorum remissio, adeoque placida eius promotio ad securam in haemorrhagiis observandam medendi methodum multum omnino confert.

§. XIV.

§. XIV.

Superatis haemorrhagiis bona diaeta est servanda, eademque corpus reficiendum & nutriendum.

Quoniam vires tam totius corporis, quam ventriculi in primis, post perpessas haemorrhagias valde languent, cavendum omnino est, ne convalescentes nimis copiosis & concoctu difficultibus se obruant alimentis, sed cibos boni succi, leves, & ventriculo parum molestos, ut iuscula carnium, ipsaque carnes animalium iuniorum, moderate in mensa adhibeant, similiisque, ad vim ventriculi concoctricem iuvandam, temperatoribus stomachicis utantur, & corpus leniter exerceant. Quodsi vero, neglectis hisce regulis, gulae & orio nimis indulgent, ex brevi denuo multum crudum atque serosum colligentes sanguinem, vel in novam incurront haemorrhagiam, vel viscerum contrahunt obstrunctiones, indeque varia reportant mala, prioribus saepe maiora & peiora.

§. XV.

Aquae minerales raro in paroxysmo, sed eodem iam superato, interdum convenient, non tamen omnes, sed pro morbi indole aegrotantiumque natura feligendae.

Sunt quaedam aquae minerales, ut Selteranae, Wiedungenenses & Toensteinesses, quae, subtilitate elementi aquei & ingredientium temperie insignes, in ipso etiam paroxysmo potus ordinarii loco nonnullis inserviunt. E contrario autem fortiores illae, quae, sicuti acidulae Pyrmontanae, Egranae, Swalbacenses & Sedlenses, vel, ut thermae Carolinae, &c. partim copioso

salino

32 De Cautelis circa theoriam & curationem

& alcalino calcareo, partim eminenti quodam martiali
imbuitae sunt principio, tunc temporis plane debent
excludi; alioquin meruendum est, ne laefam viscerum
substantiam longe adhuc magis corruptant deteriori-
remque reddant. Neque extra sanguinis fluxum omni-
bus & singulis quaelibet prosumt thermae & acidulae,
sed multum omnino refert, ut convenientes feligamus,
earumque usum corpori individuo probe attempere-
mus: sic enim leviores illae, ut *Wildungenses*, maximeque
Selteranae, tam solae, quam cum lacte nuptae, optimam
ferunt opem haemoptoicis & omnibus fere reliquis, qui
vel natura debiles sunt, vel ex praegressa sanguinis ia-
ctura notabilem retinuerunt imbecillitatem. Robu-
stioribus contra aquae iam nominarae potentiores, de-
bito sub regimine potae, rectius commendantur, ipsis
spondent praeervationem, idque eo magis, si paro-
xysmi olim praegressi ab inaequali sanguinis per visce-
ra abdominis circuitu, indeque pendente ad ipsorum
infarctus dispositione, suam duxerunt originem. In cu-
ius rei veritatem, exempli loco, vel unice provocare
mihi liceat ad molestas & plerumque chronicas uteri
& haemorrhoidalium vasorum haemorrhagias, in qui-
bus, si a suppresso vel inordinato mensium & haemor-
rhoidum fluxu, indeque turbata sanguinis per imi ven-
tris viscera circulatione subnascuntur, aquae tam *Egra-
nae*, quam *Carolinae* illae temperiores, molares dictae,
egregium & saepe incomparabilem praestant effectum.
Exinde facile simul quisque, me etiam non monen-
te, poterit intelligere, aquas minerales paulo efficacio-
res nec iis ulla fiducia commendandas esse, quorum vi-
scera

scera iam gravi laborant laesione, & vel obstructionis, vel exulcerationis labē iam sunt contaminata. Tum enim has fonticas morbi caussas aggredi amplius non licet, sed iustam habemus rationem pertimescendi, ne mortem, quam validioribus hisce remediis avertere studemus, citius accersamus.

§. XVI.

In praecavendo haemorrhagiarum recursū eo in primis respiciendum est, ut caussas ipsarum antecedentes apta ratione avertamus.

Cum haemorrhagiae ab inaequali sanguinis circulo dependeant (§. II.), hicque rursus vel ab aestuoso huius humoris orgasmo, vel a spasticis generis nervoso-vasculosi strīcturis, vel a quacunque viscerum labē & cavitatum a polyposis massis obturazione, vel denique a partium quarundam imbecillitate proveniant (§. III.), ea profecto omnia, quae hasce caussas ingnere possunt atque augere, cane peius & angue sunt fugienda. Quae vero illa sint, abunde satis loquuntur libri pathologici; quamobrem etiam supra iam in enarranda caussarum serie consulto a me fuerunt omissa.

§. XVII.

Sic igitur *cautiones*, in sanandis *haemorrhagiis* praecipue tenendas, in medium me attulisse augor. Nimis enim prolixus & scopo meo contrarius fuissim, si omnes adducere, singulasque haemorrhagias speciatim percurrere voluissim. Sufficiat igitur eas tantum enarrasse, quae circa usum medicamentorum, in *haemorrhagiis* in primis solemnium, p̄ae ceteris observata sunt necessariae.

T A N T V M .

E

P R A E .

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.
CHRISTIANVS FRIDERICVS DANIEL,
MED. D.

Qui inter Medicum & Medicinae practicum magnam interesse putant differentiam, recte quidem, me iudice, statuunt. Vterque enim artis exercet opera, sed impari plane scientia, impari eventu. Si proprius ex me quaeris, qui fiat, paucis sic habe. Bonus quidem Medicinae practicus perinde, ac Medicus, veras potest morborum cognoscere causas; sed in hoc ambo discrepant, quod medicus eruditus probe simul intelligat, quomodo haec ipsae in nos agant, suamque exerceant tyrannidem, & cur hunc potius quam alium producant effectum. Si porro certum de eventu morbi ferendum est iudicium, medicus ex fundatis respondet rationibus; quarum vero solus medicinae practicus parum gnarus, multa plerumque incerta, & ex mancis utilisque concinnata observationibus, proponit prognostica. Et quid dicam de differentia, in artis exercitio obvia. Nonne, re altius penitus, fatendum est, utrumque bona quidem & salutaria in promptu habere remedia, sed medicum vere doctum ipsorum simul vera agendi principia penitus nosse, indeque certiore promittere sanationem. At vero, quid iuvat, vel minima medicamentorum scire elementa, nisi etiam genuinum ipsorum operandi modum, qui in diversis subiectis & diversis sub circumstantiis admodum varius est, accurate intelligamus, singulaque indi-

individuo recte attemperare didicerimus. Si qua
igitur in re a practico distinguendus est medicus, est
in eo profecto, quod hic in primis cautiones, circa ap-
plicationem remediorum necessarias, exakte calleat;
probeque determinare sciat, quibus speciatim aegro-
tantibus, & quod dosi, quo morbi & diei tempore, quo
ordine & vehiculo, quocum regimine, & sub quibus
reliquis demum conditionibus medicamenta sint ex-
hibenda. Sic enim noxia fugiens, salubria tantum
proponit in auxilium, nec coeco fortunae casu, sed
solida eruditione firmiorique fretus experientia, res
suas gerit feliciter. Quum itaque tam multum in-
terfit, ut rectum & speciale medicamenta appli-
candi modum, una cum cautionibus circa eundem
obseruantis, probe intelligamus, optime sane fecisti,
Praenobilissime Domine Candidate, qui in *Dissertatio-*
nē Tua praecipuas circa curationem haemorrhagia-
rum cautelas accurate exponere annis es. Sicut
autem hoc ipso medicos imitaris, non rudes medici-
nae practicos; ita etiam in posterum de *Te* multa
bona & egregia ominari licet. Evidem, qui *Te* in
aliquot collegiis meis adsiduum habui auditorem,
Teque, ob praeclaram animi *Tui* indolem, & elegan-
tem morum modestiam, semper non dilexi solum,
sed penitus amavi, impense gaudeo, quod *Tibi* nunc
gratiosa Facultas medica digna scientiis *Tuis* prae-
mia, summosque, quos ars nostra tribuere solet, ho-
nores decreverit. Hos *Tibi* igitur ex animo gra-
tulor, & ut isdem in Summi Numinis gloriam, pa-
triae emolumentum & singulare *Tuorum* gaudium,
feliciter & cum fructu utaris, sincere opto. De ce-
tero persuasum *Tibi* habeas velim, me nihil unquam
praetermissurum esse, quo *Tibi* etiam absenti placere,

*Tuisque inservire potero commodis; Tu autem,
sicut humaniter peto, me semper eadem, qua Tuam
colo amicitiam, ratione redama. Dabam Halae
Magdeburg. a. d. xxvi. April. cīcīcli.*

*ORNATISSIMO
SVPREMORVM IN MEDICINA HONORVM*

C A N D I D A T O

SAL. PLVR. DIC.

MICH. GOTTL. AGNETHLER,
PHILOS. ET MED. D.

TAntopere *Hygeam*, saluberrimae doctrinae tutelarem deam, quam alii Aesculapii coniugem, alii vero eiusdem quondam filiam voluerunt, veneranda coluit antiquitas, ut innumera fere, tam *graeca*, quam *romana*, per saecula viatura, adhuc supersint eius effigie insignita veteris magnificentiae monumenta. Quapropter nimis utique longum foret sigillatim h. l. enumerare, nedum pro dignitate celebrare, gemmas, marmora, numismata aliqua cara elapsi aevi pignora, quibus in regum, principum atque ditorum cimelii spectatorum oculis lustrandam sese fistit *Hygea*, *Romanis Valetudo*, plerumque autem *olea Salus* dicta. Quemadmodum vero singula paganorum numina, praesertim numis ferae posteritati transmissa, quibusdam ab invicem dignoscuntur symbolis; ita pariter *Hygea* pro insigni serpentem fortita est, qui mariti quoque, aut parentis sui *Aesculapii* olim erat symbolum. Sententiae huius veritatem stabilium haud pauca **TVI, PRAE-**
CLARE DOCTE CANDIDATE, dum viveret,
agna-

agnati, nunc vero ad beatorum sedem recepti, Viri
etiam post funera longe celeberrimi, i. o. HENRICI
SCHVLZII, *repuſua*: praesertim vero bini *Aciliae*
gentis numi argentei, quorum imagines b. m.
SCHVLZIVS elegantissimo suo *compendio historiae*
medicinae pridem praefixit. Haec olim numismata
MANIUS ACILIVS IIIIVIR monetalis haud dubie
ante reipublicae romanae, a Iulio Caesare bello civili
everfae, tempora signavit, quorum alterum in ad-
versa pagina laureatum, inauribus atque monili
ornatum, deae SALVTIS caput exornat; aversam
autem occupat VALETVD, vultu dextrorsum con-
verso, atque sinistro brachio columnae innixa stans,
qua manu dextra tantisper elata serpentem ori ad-
movet: alterum vero *vōμσμα*, quod rarissimum, ut
alibi (*) haud obscure iam innuimus, altissimae ve-
tustatis reliquiis adnumerari meretur, in antica
parte laureatam atque eleganter comtam *Apollinis*
fistit effigiem, pone quam lyra, medicinae atque
arri. libb. praefidis insigne, conspicitur; in postica
huius numismatis facie denuo *Valetudo* dextrorsum
conversa, atque columna suffulta, cum serpente &
simili epigrapha, uno verbo idem emblema conspi-
citur. Quare autem serpens *Aesculapii* atque *Hy-
geae* olim fuerit symbolum, de eo varias fabulosae
antiquitatis auctores nobis suggerunt cauſas, hic
potius reticendas, quam sigillatim fusius percen-
fendas: praesertim cum eximii *Austriae* antiquarii
atque mathematici, ERASMI FROELICH, e Soc.
E 3 Iesu

(*) In *Numophyl. Schulzian.* Part. I. p. 304. conf. *Beschrei-
bung des Schulzischen Müntzabinet*, 1ster Theil p. 77.
num. 409.

Iesu sacerdotis, sententia, qui paganos serpentem,
deae salutis symbolum, iam inde ab aeneo illo Mo^sis
serpente mutuasse arbitratur, mihi quidem valdo-
pere arrideat. His in medium proferendis com-
modam hanc TV IPSE, NOBILISSIME HONO-
RVM DOCTORALIVM CANDIDATE, mihi
suppeditasti occasionem, qui pridem Hygeae, medi-
cinae praefidis, sacrissimis initiatu*s*, nunc demum, stadi-
um academicum feliciter emensus, faustis sub au-
spiciis Hygeae mox publice consequenda expectas
praemia: quapropter TIBI, AMICISSIME COR-
VINE, fortunata omnia ex animo precatus, Aescula-
pium atque Hygeam adeo propitia semper opto nu-
mina, ut singuli olim sese curae TVAE commissuri
aegrotantes, ad serpentum, doctrinae salutaris in-
signis, indolem, qui exuto senio reviviscere dicun-
tur, depositis omnis generis corpori humano infe-
stis infirmitatibus, nunquam non ex voto convale-
scant, atque ita in artis, cui litamus, emolumentum
TE perennare iubeo. De reliquo obsequente for-
tuna sospes in patriam redux, OPTIMVM ATQVE
SPECTATISSIMVM SENEM, PARENTEM
TVVM, officiosissime meis verbis saluta, meque
propediem pariter, fatis ita iubentibus, ad patrios
lares migraturum etiam posthac, quamvis tot flu-
viis, montibus atque regionibus diffitum, amare,
saltē diligere, perge. Ita vovebam in acad. regia
Fridericiana, i.v. Cal. Maii c^lo I^o CCCLI.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO AC EGREGIE DOCTO
DOMINO CANDIDATO,
AMICO SVO PERQVAM DILECTO

S. P. D.

PETRVS SAMVEL DE CHAVFEPié,
MED. CVLT. OPPONENS.

Egone solus inter tot laetas amicorum **TIBI** gratulantium acclamationes silentium observabo? Absit. Nunquam sane committam, ut officiorum amicitiae videar immemor. Amorem in **TE** meum eleganti verborum copia & rhetorica ambagibus delineare, aut amplissimum, ut vulgo fieri solet, laudum **TVARVM** componere catalogum, superfluum fore existimo. Meus enim **TIBI** satis innotuit animus, & industria assiduitasque **TVA**, abunde omnibus cognita, nullis, minime vero meis eget praeconiis. Tertius, & quod excurrit, jam voluntur annus, ex quo **TE** cum iungere amicitiam mihi contigit. Commune studiorum genus, & quod praecipuum in concilianda amicitia est, morum similitudo, mutuam nostram auxit & obfirmavit familiaritatem. Strenuum in Machaonis castris **TE** habui commilitonem, hinc non possum, quin summa cum animi voluptate temporis istius, quod in iucundissimo **TVO** mihi fluxit consortio, recolam memoriam. Si vero amicorum omnia sunt communia, & optimus quisque amici voluptatem sibi propriam existimat, quid esset quaeso, quod ego expers

expers esse velim hodiernae **TVAE** laetitiae? Disputaturo igitur **TIBI** non consuetudinis, sed amoris caussa vere ex animo gratulor. Quod ad opponentis munus subeundum me non indignum iudicasti, summopere delector, laetusque, ne mea culpa **TIBI** in amore videar secundus, occasionem arripi, idem, quod **TV** novissime mihi praestitisti, **TIBI** vicissim tribuendi officium. Gratulor **TIBI** feliciter emensum studiorum curriculum, comparata multo studio eruditionem, & honoris gradum **TIBI** iam merito conferendum. **TVS** gratulor gaudium, ex meritis **TVS** perceptum & percipendum, mihi vero amicitiam **TVA M** & fidam & firmam, qua nihil unquam prius, nihil antiquius mihi esse potest. Vive ex animi sententia, resque **TVA s** age feliciter, & me, quod enixe **T E** rogo atque obsecro, etiam abiens non diligere, sed amare perge. Vale.



Des



Des
Hochedelgeborenen und Hochgelarten Herrn
H E R R N
I. C. CORVINVS
Höchste Würde
in der Arzneigelarheit
besungen
von
zwei
Demselben
verbundenen Freunden.



Freund, erlaube Dir die Pflichten
Treuer Freundschaft zu entrichten,
Die uns lange treu verband,
Eh uns noch das bitre Trennen
Zwingt, die Schmertzen zu bekennen,
Die uns jetzt erst halb bekannt.

Billig lob' ich Dein Bemühen
Dich dem Staube zu entziehen
Und der Ehre nachzugehn;
Billig quillt die Brust vor Freuden,
Doch mit untermischten Leiden
Kan ich nur Dein Glücke sehn.

Bald denck ich mit Lust zurücke
An die kurtzen Augenblícke
Die ich gern bey Dir verlohr.
Bald stell ich mit blassen Munde
Mir die Zeit, die bitre Stunde
Deines Abschieds wieder vor.

Freund, so wechseln Freud und Schmertzen,
In dem Dir geweihten Herrzen,
In den Freundschafts-vollen Brust,
Der das zärtliche Verbinden
Und das schmertzliche Empfinden
Bey der Trennung gleich bewußt.

Wär

Wär es doch den Zeiten eigen
Ihren Lauf zurück zu steigen,
Aber nein, sie gehn dahin.
Dis hat nie *Dein* Fleis vergeffen,
Der die Zeiten ausgemessen,
Jero zieht *Du* den Gewinn.

Nimm, was Fleis und Tugend geben,
Die *Dich* jetzt zum Lohn erheben,
Nimm Minervens Lorber-Krantz,
Nimm ein wohlverdientes Glücke
Von dem gütigen Geschicke
Deines Ruhmes späten Glantz.

Siehe Ruhm und Ehre hoffen,
Ihre Pforten stehen offen
Und das Glück erwartet *Dich*.
Freund, so eile zum Besitze,
Sey des Vaterlandes Stütze,
Sey mein *Freund*, gedenck an mich.

C. G. Küster,
D. A. G. B.

Mein treuer Wunsch soll *Dich* begleiten,
Freund, da die Tugend *Deine* Zeiten
Mit Ehre krönt, mit Rum belont.
Wol angewandte Zeit der Jugend!
Du lebst sicher bei der Tugend,
Und ferne, wo das Lafter wont.

Fern von der Tugend und vom Wissen,
Wird dort die Jugend hingerissen,
Und kehrt sich in den Lafern um.
Sie siehts, es fällt der Bau der Glieder
Ermatter auf das Lager nieder,
Allein aus Vorlaz bleibt sie dum.

Dein

*Dein Fleis sucht Kräuter, forscht die Kräfte,
Aus Mitleid bringst Du Trank und Säfte
Und hilfst der Schwachheit wieder auf.
Du hilfst, Dein Fleis ist hier zu loben,
Doch ist das Laster nicht gehoben,
Es nint von neuen seinen Lauf.*

*Dis dauret Dich, Du eilst zurücke,
Und gehest mit noch nassem Blicke
Zum Weisheitstempel wieder ein,
Begierig weiser Männer Lehren
Mit Fleis und Eifer anzuhören,
Und von den Lastern frei zu sein.*

*Ja Freund, Du bist es auch geblieben,
Allein, vielleicht aus eignen Trieben.
O nein! die Vorsicht schütze Dich,
Dass stets Dein Mund den Lastern fluchte,
Dass nur Dein Fus die Tugend suchte
Und nie aus ihren Grenzen wich.*

*Der Tugend folgt der Lon am Ende,
Es reichen Dir Minervens Hände
Den Kranz der Deinen Fleis gebürt.
Dein Fleis braucht weiter keine Zeugen,
Da sie Dich selbst mit Lorber-Zweigen
Geschmückt in ihren Tempel führt.*

*Wie aber! Freund, ich seh Dich eilen,
Vielleicht die Schwachen dort zu heilen,
Wohin Dich Zeit und Vorsicht schickt?
Ja ja Du eilst, und meine Lieder
Erschallen aus den Wolken wieder,
Freund, sei berühmt, geehrt, beglückt!*

J. F. D. Wreden,
D. H. G. G. E.



*Dein Fleis sucht Kräuter, forscht die Kräfte,
Aus Mitleid bringst Du Trank und Säfte*

*Und hilfst der Schwachheit wieder auf.
Du hilfst, Dein Fleis ist hier zu loben,
Doch ist das Laster nicht gehoben,
Es nimt von neuen seinen Lauf.*

*Dis dauret Dich, Du eilst zurücke,
Und gehest mit noch nassem Blicke*

*Zum Weisheitstempel wieder ein,
Begierig weiser Männer Lehren
Mit Fleis und Eifer anzuhören,
Und von den Lastern frei zu sein.*

*Ja Freund, Du bist es auch geblieben,
Allein, vielleicht aus eignen Trieben.*

*O nein! die Vorsicht schütze Dich,
Dafs stets Dein Mund den Lastern fluchte,
Dafs nur Dein Fus die Tugend suchte
Und nie aus ihren Grenzen wich.*

*Der Tugend folgt der Lon am Ende,
Es reichen Dir Minervens Hände*

*Den Kranz der Deinen Fleis gebürt.
Dein Fleis braucht weiter keine Zeugen,
Da sie Dich selbst mit Lorber-Zweigen
Geschmückt in ihren Tempel führt.*

*Wie aber! Freund, ich seh Dich eilen,
Vielleicht die Schwachen dort zu heilen,
Wohin Dich Zeit und Vorsicht schickt?*

*Ja ja Du eilst, und meine Lieder
Erschallen aus den Wolken wieder,
Freund, sei berühmt, geehrt, beglückt!*


J. F. D. Wreden,
D. H. G. G. B.



01 A 6576



TAOG
S6,





DISSTATIONEM INAVGVRALEM MEDICAM
DE
CAVTELIS
CIRCA
THEORIAM ET CVRATIONEM
HAEMORRHAGIARVM
OBSERVANDIS

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
P R A E S I D E
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

D. XXX. APRIL. A. S. R. CLO ICC LI.

IN REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANN. CHRISTIANVS CORVINVS

PRITZVALCKO - PRIGNIT. MARCHICVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.